

CAPVT XX.

Petens panes.

Luc. 11. n. 4. Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.

Num. 5. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.

VERSIONES.

Syriac. n. 4. Et subdit eis: Quis vestrum habebit amicum: & proficiscetur ad eum media nocte, & dicet ei: amice mi, da mihi mutuo tres placentas.

Vatab. Theoph. Da mihi mutuo tres panes. Arabicus. Quis vestrum habet amicum.

D. Greg. Nissen. Da mihi aliquot ex panibus tuis.

Origenes n. 5. Quoniam amicus meus superuenit mihi.

Pagninus. Quid apponam illi?

EXPOSITIO I.

1. ARIAS parabolas narrat D. Lucas a cap. 11. vsque ad 18. qua in variis locis connectuntur ab Authoribus, a multis vero ponuntur post parabolam de bono Pastore, quorum ordinem nos tenemus. Postquam Dominus ut refert D. Lucas cap. 11. tradidit illam formam orandi, quam iam docuerat cap. 6. Matth. Pater noster qui es in caelis, ut late explicauimus ibi tom. 2. cap. 15. Hic proponit parabolam de amico postulante tres panes. Cuius scopus, ac finis est, ut docent D. Basilius in regulis breuioribus resp. 261. D. Ambros. Titus Rostrenf. D. Bonauent. hic, ac D. Bernard. serm. de Bogationibus, ut instruemur semper, ac omni tempore esse orandum: non frivole, aut negligenter, sed feruenter, ac perseueranter: & si contingat nos cito non exaudiri, non statim ab oratione recedendum, sed valde ardentem multipliciter instandum. D. Paul. 1. ad Thef. 5. num. 17. Sine intermissione orate, gratias agite. Quod confirmat Christus hac similitudine, & exemplo satis inter homines solito.

2. Ait ad illos: scilicet discipulos suos, cum quibus loquebatur. Quis vestrum. Interrogatio posita ad maiorem energiam, ac sermonis efficaciam. Habebit amicum. Non ait: si vos habetis, sed si quis vestrum. Nam raro inuenies, qui verum amicum habeat; & non dixit, habebit amicos, sed

amicum. Verorum amicorum valde parvus est numerus; valde rara, ac singularis vera amicitia; & non dixit, habet, de praesenti, sed habebit de futuro. Vera enim amicitia, non solum respicit praesentia, sed etiam qua a longe, ac in distanti sunt. Ibit ad illum media nocte, tempore maxime improportionato, & incommodo, & facit argumentum a maiori ad minus; si media nocte propter amici perseuerantiam dabit, multo magis quouis alio tempore dabit. Ibit. Non seruum aliquem mittit, sed ipse vadit, sciebat enim, quod valde frivola sit oratio aliena, cum ipsam propria necessitatis vigor non animet. Pro quo vide cap. 2. num. 137. & 138. Et ait illi, Amice. In exordio supplicationis amicum dicit, ut mutua dilectionis recordatione, ut ait D. Cathusian. ad dandum inclinaret. Commoda mihi tres panes. Id est, ut patet ex Graeco, mutuo da mihi. Ut ponderat D. Bernardus serm. 17. ex parabol. Notandum, inquit, quod non ait da mihi, sed commoda mihi. Ut accipiens beneficia se Dei debitorem recognoscat. Instruimus, quod in nostris necessitatibus ad verum amicum, Deum nempe, esse confugiendum.

Quoniam amicus meus; amicum dicit, non inimicum, quod videbatur pertinere ad maiorem charitatis ardorem. Cum Paulus dicat Rom. 12. num. 20. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Esto olim inimicus fuisset, quem tamen homo in sua domo, ac hospitalitate receperat, non inimicum, sed amicum reputabat. Deinde petebat homo Christi panem, qui non est cibus inimicorum existentium in mortali, sed amicorum, ac filiorum in gratia. Vide alia, quae dixi tom. 3. cap. 24. quaeft. 15. num. 102. Quoniam amicus meus venit de via. Tres rationes assignat, ob quam tam incommodo mediae noctis tempore venerit. Primò amicus meus venit. Iure amicitia teneor necessitati eius subuenire. Secundò de via. Ipsa longitudo irineris in causa est, cur hac hora defessus venerit. Tertio, Non habeo, quod ponam ante illum. Tempus enim non permittit, ut aliquid emam. Dignus sane hic homo ut multa a Deo beneficia recipiat, qui indigentiam suam agnoscat, & fatetur,

QVAESTIO I.

Quare tam confidenter homo petit panes non a consanguineo, sed ab amico, & explicatur quis sit homo pulsans, & amicus?

1. ALDE audacter hic homo accessit ad ostium sui amici, ac pulsat petens panes. Vnde illi tanta fiducia? Rectè responder D. Chrysologus serm. 39. Estimo, ait, hoc dixisse pulsantem, aut forte taliter conuenisse; feci quod iussisti, redde quod promissisti: tibi credidi dicenti. Nolite solliciti esse in crastinum. Vnde externo hospiti, quod apponerem non reliquisi tibi ego sic habenti molestus sum, quanto mihi ille extitit molestior non habenti? Et tamen ego illi excusare non potui, quia tibi obedire contendi. In toto Evangelio non inuenimus alium hominem tam crebro, ac instanter ostium amici se claudentis pulsantem, ut hunc praesentem; vnde illi tanta animositas? Ut Domini mandatum impleret, omnia sua pauperibus erogauit, ita ut in crastinum nihil in domo sua relictum fuerit, vnde generose accedit,

Vera amicitia non in praesenti, sed in distanti agnoscitur.

Cathus.

Bernard. Graec. Debitores famulus Dei beneficiorum.

3.

Rom. 12.

Eucharistia panis amicorum Dei.

Qui suam indigentiam agnoscat dignus beneficio Dei.

4.

Chrysolog.

Elemosina confidentiam ingerit, ut a Dei multa petamus.

accedit, & promissos ex conventionem caelestis beatitudinis panes postulat, ac si dicat, feci quod iussisti, redde quod promissisti.

5. Theophyl. Quis pulsans, & quid amicus. Origenes. Cathus. Hugo.

Psal. 39. Serem 31.

August.

6.

Isidorus.

Christus in Eucharistia beneuolus amicus.

7.

Magna Dei pietas erga nos.

8.

Amicus magis quam frater tibi subuenit.

Iob 2.

Ambros.

Theophylactus ex istimat quod homo pulsans est angelus custos, qui in profundo, ac media nocte tentationem accipiens animam fidelis a Deo petit tres panes corporis, animae, & spiritus. Origenes relatus in Catena Graeca, ait quod homo pulsans sunt Sancti v. g. Abraham, Moyses, Dei amici, a quo petunt pro suis subditis, & deuotis. Cathusianus, Hugo, & alij communiter. Inquunt, quod pulsans est homo fidelis qui excipiens de via mundi, ac temporalium cor suum, & animam suam intra se. Psalm. 39. num. 13. Cor meum dereliquit me. Ierem. 31. num. 22. Vsq; quo deliciis dissoluens filia vaga. Qui fidelis in media nocte tribulationem huius saeculi ad Deum Patrem, seu ad Filium eius Christum Iesum recurrit petens panes gratiae, & misericordiae. Aliter D. Augustinus serm. 171. de tempore interpretatur, quod pulsans est fidelis, qui tempore tentationum audiuit, & excepit Christum Iesum pulsantem ad ostium cordis sui, inde ipse Iesus accurrit homini pulsanti ad ianuam Patris sui, ut illum exadiat, & excipiat, siquidem ipsum olim homo excepit in corde suo. Quis est iste hospes, sunt verba Diui Augustini, qui de nocte de via venit ad amicum? Nonne est iste hospes, qui dicit. Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, introibo, & cenabo cum illo.

Maximè notandum, quod cum Christus Dominus sub parabola, ac similitudine hic intelligatur, quod non appellatur Dominus Deus omnipotens, sed amicus, non enim ait pulsans, Domine, Rex, Omnipotens, sed amice accommoda mihi tres panes. Amicus, ut ait D. Isidorus lib. 10. liter. A. Etymol. Dicitur est proprie amicus ab Amo, id est carena charitatis. Cum panis Christi petitur, ipse non dicitur rex, vel Dominus, sed amicus, tam beneuolus se habet Christus in suo pane, ut tanquam intimus, ac familiaris amicus se exhibeat, qui charitatis vinculis tenetur.

Ad quaestionem cur iste pulsans potius petit ab amico, quam a consanguineo, vel vicino? Respondeo primò. Ut in ipso verbo amici magna diuinae pietatis concedendi, quod petimus, ostentatio fiat; nam si amicus ob improbitatem postulata concedit, quanto magis annuet Deus, qui Pater noster est. Secundò. Sub nomine amici subintelligitur Deus, ut ab ipso tam confidenter petamus, ut amicus ab amico; proprium est enim amici sui amici necessitati subuenire.

Tertiò. Non a consanguineo, sed ab amico petit panes, saepe hic tibi promittit ad subueniendum, quam ille; frequentèrque in amico fidelis magis paratum inuenis auxilium, quam in sanguine valde tibi propinquo. Cum Iob multa suarum ærumnarum, laborum, ac miseriae tempestate premeretur. Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut pariter venientes visitarent eum & consolarentur. Iob. 2. num. 11. & tamen Iob, ut constat ex eius cap. vltim. num. 11. habebat fratres, & sorores. Et hi in eius calamitate ad eum visitandum, ac consolandum non accedunt, cur magis mouentur ad pietatem tres illi amici, quam eius sanguinei? Tres illi erant amici veri, fideles, ac veterani, ut eos appellat D. Ambros. lib. 2. de interpell. Sylueira in Euang. Tom. IV.

lat. Iob. cap. 1. Amicus autem fidelis, ac veteranus multo maioris valoris, ac ponderis est, ut in necessitate tua tibi subueniat, ac praesto adsit, quam frater, soror, ac quilibet alius sanguine coniunctus.

Cum Gedeon contempleretur fortissima castra Madianitarum, qui in valle vndique diffusi iacebant, & non solum locustarum, sed etiam arenarum multitudinem superabant. Ait Deus ad Gedeon. Surge, descende in castra. Iudic. 7. num. 9. ut auscultaret illa, quae Madianitae inter se loquerentur. Sed cum Gedeon aliquantulum cunctanter descendere metueret, addidit illi Deus. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Gedeon multos habebat consanguineos, & fratres, ut communiter colligunt Abulensis, & Expositores ex illis eius verbis cap. 6. num. 15. Ego minimus in domo patris mei. Cur ergo in tanto rerum discrimine non assignatur ei in comitem aliquis eius frater? Quia saepe securior, ac fidelior, maiusque satellitium praestat vnus bonus amicus, ac socius, quam quilibet frater, ac consanguineus; vnde Gedeon tali comite stipatus non solum inimicas acies intrepidus circueiuit, sed etiam certissimam de victoria spem lætabundus reportauit.

Ex quo ait Ecclesiasticus 6. num. 14. Amicus fidelis protectio fortis. Qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fidelis nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vite, & immortalitatis. In quibus verbis duo expendit: protectio fortis, non qualificumque, sed robusta, & valida in omni discrimine, ac casu est etiam. Medicamentum. Seu ut legit Graecus phar-macum in omni morbi pressura, ac necessitate. Vnde ait D. Chrysostom. homil. 2. Epistol. 1. ad Thes-sal. Reuera, ait, vita phar-macum est fidus amicus: reuera protectio fortis est fidus amicus. Quantam vtilitatem, quantam securitatem generat. Si mille thesauros dixeris: nihil tamen germano correspondebunt amico. Est etiam amicus medicamentum immortalitatis, quia ut explicat Rabbanus, si est verus amicus, agit de his, quae ad Deum, ac salutem animae pertinent.

QVAESTIO II.

Quare non manè, vel vespere, sed media nocte accessit homo pulsans?

1. MEDIA nocte accessit hospitandus de via ad bonum virum charitate plenum, statimque ille cucurrit ad suum amicum pulsans, ac petens panes, & quamuis esset media nox, ut ait D. Ambrosius in Psalm. 6. Non timuit, ne excitaret dormientem, quem sciebat semper excubare vigilantem. Quo documento instruimur in omni tempore, momento, ac necessitate Deum deprecari. Et cum esset media nox, inde magnam spem concepit homo, quod oratio vacua non rediret, sciebat enim, quod multum potens est oratio vigilis noctis comitata. D. Chrysost. serm. 39. Ista satis hora est, ait, efficac impetrandi: hoc sciens Propheeta ipsa sua tempus sua supplicationis asserit extitisse, & cantando: K K media.

9.

Iudic. 7.

Abulens. Iudic. 6.

Socius tibi securior quam frater.

10.

Eccles. 6.

Amicus protectio fortis.

Graec.

Chrysost.

Rabbanus.

11.

Ambros.

Oratio assata cum vigiliis valde potens. Chrysol. Act. 16.

media nocte surgebam ad confitendum tibi. In hac hora vigilantiibus semper sponsus ille occurrit, qui dicit: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Ac si oratio vigilis associata tam valida sit, ut omnia possit impetrare quaequunque voluerit, indeque tempus mediae noctis ad orandum eligebant Paulus, & Silas. Act. 16. num. 15.

12. Tertull.

Secundò. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 26. Etiam cum sero pulsatur, ait, creatoris est tempus. Illius & serum cuius seculum, & seculi occasus. Ad Deum novum, nemo sero pulsasset. Non sunt plures Dij, vnus nouus, & alter antiquus; vt sinistra dicebat improbus Marcion, sed vnus tantum est Deus immutabilis in se ab aeterno perseuerans, qui modò mundum gubernat, & semper erit sine termino saeculorum, sed quoniam motiuo probat Africanus, quod non sit aliquis nouus Deus, sed idemmet, qui est ab antiquo. Ad Deum novum nemo sero pulsasset. Venit iste homo media nocte pulsans ad ostium sui amici, nempe Dei, qui cum non repulit à se, sed postulata concessit, si autem esset aliquis Deus nouus media nocte pulsantem non sustineret, sed acriter increpans reieceret. Ad Deum novum nemo sero pulsasset. Nam quilibet Deus nouus, scilicet princeps, gubernator, ac Rector valde delicatum se exhibet, & qualibet re aliquantulum sibi incòmoda multum grauatur, ac molestatur; vnde in pulsantem media nocte, ac somnum eius interruptentem, valde durus, ac rigidus esset, minimeque illi petita annueret.

Princeps, ac Rector nouus, multum delicatus.

13. Chrysol.

Tertiò. D. Chrysol. serm. 39. Vadit ad illum media nocte, sic ait, hoc tempus est, quod inter praeteritos, & futuros labores ardens animus ad diuina nihil indulget corpori, nihil quieti, sed antequam finiat transacti diei opera, inchoat, & anticipat futuri. Ista satis hora est efficax impetrandi. Media nox finis est praeteriti diei, & inirium sequentis. Media nocte cucurrit homo potens pro suo hospite, vt benefaciens amico diem elapsam claudat, & inicit subsequenter, vt sic charitate in proximum totus dies inchoetur, ac finiatur.

Charitas in proximum struat die.

14. Chrysol.

Quartò. Ad eadem Chrysol. verba. Ardens animus ad diuina nihil indulget corpori, nihil quieti. Media nocte vadit homo pulsans, & non solum impetrat tres panes, sed quot habebat necessarios. Media nocte omiſſis diuinis solent homines otio, ac quieti indulgere, nulla sane aptior hora ad diuinam gratiam obtinendam, quam illa, in qua reiecta communi quiete totus homo diuinis incumbit. Vnde pergit citatus Chrysol. Merito sic pulsanti taliter, quotquot necessarios habuit, Euangelicus iste senerator largitus est panes. Sic tantum apud Deum promeretur qui ante lucem vigilat in bonis operibus. Sicut mulier ita fortis, quae de nocte surrexit, & dedit cibaria domesticis, ac ancillis suis. Prouerb. 31. num. 15.

15. Chrysol.

Quintò. Idem D. Petrus Chrysol. Plus hic iubentis Dei ait, quam non habentis hominis verecundia laborat. Valde diligens extitit homo iste, vt suum hospitem reciperet, tanta charitate hospitalitatem prosequeretur, sed cur qui sic erat deditus in excipiendis hospitibus ante lucem media nocte pergit postulans? Reputauit secum fore Deo tanquam verecundum, si panes ille petens, ac quaerens videretur, qui tanta promptitudine sua hospiti est largitus. Ac sic quodammodo plus verecundaretur Deus, quod cibaria dederunt homini tam liberali erga egenos, quam

verecundaretur homo penia oppressus panes quaerens; quam non habentis hominis verecundia laborat.

Sextò. Idem allegatus D. Chrysol. Quis vestrum, ait, habebit amicum, & ibi ad eum media nocte: parum est, quod facienti misericordiam nox velatur, quod largitatem dantis petentis obtegebat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velande adscriberetur, & somnus. Media nocte homo cum multa instantia ostium amici pulsatur, quem iam cum suis clausum somnus occupabat, ad quid haec omnia tendunt, nisi vt vnusquisque virtus maxime abscondatur? Charitatem hominis pulsantis, vt suo amico subueniret, nox ipsa sua densitate obtegebat; liberalitatem vero dantis obuclabat improbitas petentis, ac etiam somnus, qui illi iam obuenerat.

Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus durus debellator profliuit. Ait Sapientia. cap. 18. n. 14. Relinquo sensum decede primogenitorum Aegyptiorum. Communiter locum istum non de Verbi Diuini Incarnatione, sed de Natiuitate ex vtero Virginis interpretantur Tertullian lib. 5. contra Marcion. cap. 9. D. Augustin. in Psalm. 209. vers. 3. D. Anselmus in Elucidario. Petrus Blesensis serm. 6. de natiuitate D. Bonau. serm. de Incarnat. Hugo, & alij, & Ecclesia in Dominica infra octauam Natiuitatis in Antiphona ad Benedictus, haec verba ad dictum Mysterium accommodat. Illud tamen maxime expendendum mediæ noctis silentium cum Dei Verbo, quod dicitur, Durus debellator; seu vt habet Chaldaicus. Dominus victor bellorum. quanam disciplina militari hic Dominus ad mundi peccata, ac daemones potestates debellandas, ac vincendas est vsus? In eo sane extitit instructio, ac regula militaris; quòd cum nox medium iter suum haberet, sub mediæ noctis densitate suam virtutem, omnipotentiam, ac maiestatem obuclauit, vt victrix gloria vndique resplenderet. Fauer D. Zeno lib. 3. serm. 6. Etenim, ait, Deus Dei filius tempore constituto, dissimulata interim maiestate, ab aeternae sedis profectus, in praedestinata Virginis templum sibimet castra metatur, quibus latenter insunditur. Sic à Iesu ordinantur sua castra, vt victricia existant, quod latenter, ac simulata maiestate procedant, & veniant.

Ad dilectam animam ait Christus Dominus. Sicur cortex mali punici, sic gene tua. Cantic. 6. num. 6. Cur facies sponsae potius cortici, quam ipsi malo punico comparantur, & cur potius cortici mali punici, quam alterius pomi corio conferuntur? Quid peculiarius in cortice malogranati, quam alterius inuenitur? Sub cortice in malo punice multa cooperiuntur rubicunda grana mirifice intexta, quae animi virtutes igne charitatis inflammatae, ac ordinatae adumbrant; inde & genis iusti combinantur, nam sicut sub cortice malogranati illa grana absconduntur, ita etiam sub genis, in quibus inest amici index hilari facie, ac iucundo vultu cordis virtutes, ac recte cogitata velantur, ac oculantur. Philo Carpatius ad eadem proximè citata verba. Scitis enim, ait, intra malum punicum multitudinem granorum contineri, horum persimiles bonorum operum fructus esse dicuntur, & latentis animi, conscientiaeque bene cogitata, ac facta, quae soli sponso perspecta sunt, & cognita: in die tamen nouissima cunctis proponenda.

16. Chrysol.

Virtus, & probitas abscondenda.

17. Sapient. 18.

Tertull. August. Anselm. Petr. Blesens. Bonauent. Hugo.

Chaldaeus. Virtus & potentia occultatur.

Zeno.

18. Cantic. 6.

Animi probitas regatur.

Philo Carp.

QUESTIO III.

Quare homo potius petit tres panes, quam vnum, vel duos?

19. In sacra Eucharistia omnia bona.

20. Bernard.

Qui Deum orat pro proximo, etiam pro se orat.

21. August. Fides Trinitatis.

Origenes. Bostrensis. Beda. Bernard.

Glossa. Carthuf.

1. Reg. 10.

22. Hugo. Cum Dei donis operemur.

23. Cant. 7.

Hebr.

Theodor.

In intimo, ac potenti amico non postulat homo multas dapes, sed tantum panes pro excipiendo suo hospite, cur non plura, vt magnifice conuiuium patet? Panis ille cum esset Christi panis, sacram Eucharistiam adumbrabat, in qua omnia obsonia, ac bona continentur, vt nil amplius sit desiderabile.

Ad quaestionem cum homo iste panes petit, fatetur nihil panis familiaris suae superuisse à superiori cena, cur pro amico adueniente potius tres panes, quam duos, vel vnum postulat? D. Bernard. serm. de Rogationibus ait, quòd amicus veniens de via adduxerit secum vxorem, & mancipium, indeque homo pulsans tres panes petit pro amico, vxore, & mancipio. Tamen cum nec de vxore, & mancipio fiat mentio. Idem aptior est interpretatio, quòd tres panes exquirat homo, vnum hospiti suo, alterum sibi, tertium vero si forte duo non sufficerent, abundanter volebat hospiti prouidere. Obiicies. Hic, qui panes petebat, iam vt ex dictis patet, cenauerat, ad quid ergo sibi panem petebat? Respondeo, quòd verum est ipsum iam cenasse, tamen decreuerat in gratiam hospitis aliquid sibi assumere. Deinde ex magno mysterio pro se etiam petit. Nam qui Deum orat pro proximo, etiam pro se orat, multumque sui profectum impetrat, ac assequitur.

Tertiò, & moraliter, ac allegoricè. Primò. D. Augustinus lib. 2. quaest. Euangel. cap. 21. ait tres panes petuntur, hoc est sacrosanctae Trinitatis intelligentia, qua pascitur anima fidelis, ac consolatur in omni labore, & pressura. Idem habent Origenes, Titus Bostrensis, Beda, & alij. Secundò. D. Bernard. citato serm. Tres panes postulati, ait, sunt panis veritatis, panis charitatis, panis fortitudinis. Primus, vt qua vera sunt, & agenda intelligamus; secundus, vt Deum amemus; tertius, vt virtutem caro exerceat. Tertiò. Glossa, Carthusianus inquit, postulat homo tres panes secundum fidem, spem, ac charitatem, quibus pascitur tota anima. Nam fide rationabilis, spe irascibilis, charitate pascitur concupiscibili. De his tribus panibus dicitur 1. Regum 10. num. 3. Inuenient res, tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. Vnus portans tres hedos: & alius tres tortas panis: & alius portans lagenam vini. His enim tribus ascendit anima ad Deum, vt ab ipso omnia obtineat.

Quartò. Cardinalis Hugo intelligit tres gratias, scilicet, gratiam operantem, cooperantem, consummatam, seu perseverantem. Item tres panes sunt; rationis discretio, voluntatis rectitudo, corporis fortitudo: quos Dominus nobis commodat ad vsuram, quam inde vult habere, vt secundum rectè facta operemur, ac bonum faciamus.

De anima iusti ait Christus Dominus: Inmensa formorum tuorum sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis, Cant. 7. num. 1. ex Hebraeo legitur: Opus manuum artificis. Laudat Dominus connectionem, ac commensuram formorum, qua sine claudicatione sponſa procedit, & ambulat. Per formorum metaphoram, vt rectè asserunt Theodor.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

Carena. Sotomayor. Ghisler. Carena. Sotomayor. Ghisler.

Carena Trium Patrum, Sotomayor, Ghislerius exposuit, designantur virtutes, earumque dispositio, ac connexio, per has enim iustus vitam prosperè agit, illisque insigniter exornatur, sicut peccus monili; maxime tamen ponderandum, quòd in hoc pretioso monili non celebrat eius materiam ex gemmis, vel auro, sed eius structuram, quae est opus manuum artificis. Tanquam inueniens, quod in virtutibus magis contemplantur ipsum opus manuum artificis, quam earum supernaturalem naturam; at quoniam sunt istae manus artificis? Est manus Dei dans auxilium gratiae, & est manus hominis consentiens, & cooperans cum ipsa gratia, ita vt à Deo, ac homine fiat vna actio, tanquam veluti ab vno artifice, ac agente, qua prosperè procedit homo in via salutis, eiusque anima mirifice exornatur, ac condecoratur, vt peccus monili. Ad hoc respicit Honorius Augustinodonsis: Formosa anima, ait, sunt timor, & amor, per quae gignit bonum opus: horum iunctura est fides, qua credit supplicium, quod timet, & credit gaudium, quod amat. Haec iunctura est, sicut monilia, quia sicut monile peccus ornat, & munit, ita fides animam ornat, & munit. Haec manu artificis est facta. Vide supra cap. 13. num. 19. & cap. 18. num. 144.

Luc. 11. 26. Et ille de intus respondens dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est. Et pueri mei mecum sum in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

VERSIONES.

Syriacus. Et ille amicus eius intus respondeat, & dicat ei: Ne mihi molestiam exhibeas, ecce enim ostium clausum est, & filij mei mecum sunt in lecto, non possum surgere, vt dem tibi.

Arius. Ne mihi molestias exhibe. Variablis. Ne mihi molestus sis. Arabicus. Nam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili meo.

Tertull. lib. 4. Ianua clausa est, & infantibus tecum sunt. cap. 26. Pueruli mei mecum sunt.

EXPOSITIO II.

Ille de intus respondens dicat: Si ne mora respondit Dominus, quia vt ait D. Chrysol. citandus q. seq. Secreti sui cubile collocavit ad ianuam, vt altius suae familiaris ostium custodiret, ac vt ad primam hominis pulsationem eum exaudiret. De intus. Carthusianus, quia Deus occulta inspiratione nostris animis alloquitur, K K 2 loquitur,

24. Chrysol. Deus velociter exaudiret. Carthuf.